13 / 1

# DE
# RECTA ELIGENDORUM PRAESULUM RATIONE
# ORATIO

PATAVII HABITA ANN. MDCCLXXXXI.
IN COMITIIS VENETAE ORD. PRAEDICATORUM PROVINCIAE
NUNC AUTEM PRIMUM IN LUCEM EDITA
AC PRAECLARISSIMO ECCLESIAE UTINENSIS ANTISTITI

## EMMANUELI LODI

NUPER EX EODEM ORDINE AD EAM DIGNITATEM EVECTO

DICATA

A


## THOMA THOMASONIO

IN IMP. REG. PATAVINA STUDIORUM UNIVERSITATE
DOGMATICAE THEOLOGIAE PROFESSORE



PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCXIX.

480



PRAESTANTISSIMO ANTISTITI

# EMMANUELI LODI

THOMAS THOMASONIUS

F.

*Dum Vindobona te suspicit, dum tibi plaudit Roma, dum Mediolanum, Venetiae, Utinum gratulatoriis te certatim officiis prosequuntur, quod ob egregias virtutes ac praeclara merita ad conspicuum utinensis Ecclesiae thronum evectus fueris, et tam amplae tamque illustris dioecesis regimen tuis sit pastoralibus curis demandatum: nefas profecto esset, me tot undique personantes acclamationes surdis auribus excipere, et ad aliquas animi laetitia gestientis significationes edendas non inde provocari. Aequum quin immo est, ut ego prae aliis hilarem plaudentemque vocem extollam, utpote qui et communi regularis ordinis professione, et pluribus in me collatis beneficiis peculiari tibi sim ratione devinctus.*

*Ut huic itaque quod mihi incumbit, muneri, sin pro rei dignitate, saltem quadantenus satisfaciam; supervacaneum censeo, sive soluta, sive numeris adstricta, poeticisque coloribus ornata oratione in tuas laudes excurrere: siquidem eximiae animi tui dotes jam in luce Italiae, et in omnium ore atque auribus positae nova non indigent commendatione. Sed nec prolixum, aut justae molis opus nomini tuo inscribendum, quasique tributi loco rependendum puto; quum id neque temporis patiantur angustiae, neque in laetis ejusmodi eventibus ferat recepta consuetudo. Satius igitur duco (quod hac aetate in more positum esse video) meam quandam opellam nunquam prius editam tibi, Praesul amplissime, nuncupare, ac veluti tenue munusculum exhibere, quod mei erga te sit devoti, exultantis, gratique animi perpetuus ac publicus testis.*

*Benigno igitur excipe vultu hanc, quam tibi sisto, oratiunculam, a me olim in comitiis venetae ordinis Praedicatorum provinciae ad Patres habitam, quam huc usque in latebris delitescentem nunc tandem tui gratia ex tenebris erutam praelo subjicio, quum pro suscepti argumenti ratione nec circumstantiis incongrua, nec tempori inopportuna, nec publica luce, tuisque (ni fallor) oculis indigna esse videatur. Disse-*

*rit illa quidem de eligendo dumtaxat regularis provinciae moderatore, quia is tantum tunc erat ipsi propositus scopus: verum latius patere potest ejus utilitas; siquidem et praecipua prae oculis ponit sacrorum pastorum officia, et requisitas in iis dotes recenset, et generales statuit regulas facem praeferentes rite distribuendis quibuslibet ecclesiasticis praefecturis; qua etiam de causa ipsam inscribere placuit:* De recta eligendorum praesulum ratione. *Hanc si tu, Praesul optime, evolveris, ea tibi in memoriam revocabit, quas te sequi oporteat leges in tot sacris tuae dioecesis pastoribus seligendis: si autem illam alii lectitaverint, facile perspicient, quam accurate fuerint ejusmodi leges in tui ipsius promotione servatae.*

*Deum tandem O. M. enixe rogo, ut pastorales tuas curas, et apostolicum, quo maxime ferves, zelum uberrimo coronet fructu; teque ad animarum salutem, ad ordinis decus, ad totius Ecclesiae bonum diu sospitem incolumemque tueatur.*

*Dab. Patavii VI cal. novemb. MDCCCXIX.*

# ORATIO

Quum ex optimo gubernatore plurimum subditi homines utilitatis et commodi, ex malo autem praeside non parum percipere soleant detrimenti; adeo ut, Ecclesiastico teste, *qualis rector est civitatis, tales* sint *et inhabitantes in ea* (1); probe hinc intelligitis, spectatissimi Patres, magni nunc ponderis ac momenti negotium inter vos verti, dum de novo agitur totius nostrae provinciae eligendo moderatore. Jam vero si mira quaedam divinitus adducta signa forent expectanda, quibus palam omnibus fieret, quisnam esset in praesulem eligendus; qua olim ratione mediolanensi Ecclesiae Ambrosium, myrensi Nicolaum, ravennatensi Severum praefectos fuisse scimus: aut si res saltem ex fortuita sortium eductione penderet, quemadmodum Mathiam quondam ad apostolicum gradum evectum fuisse novimus; nihil profecto esset causae, cur ego vos vel brevi nunc oratione detinerem. Sufficeret enim, vos ad fundendas ad Deum preces hortari, ut quem ipse ad id muneris arcano consilio delegisset, manifesto omnibus indicio patefaceret: vel satis esset dicere: Apponite urnam, conscribite nomina, immittite schedas, quique primus ex ductis sortibus obvius erit, eum demum totius provinciae praepositum salutate. Verum quia nostris hisce temporibus nec eligendorum nomina superna revelatione panduntur, nec inopinae infan-

(1) Eccl. 10.

tium audiuntur voces, nec e caelo delapsae columbae huc illuc volitantes cujusquam capiti insidunt, nec alio quopiam divino indicio instituendi praesidis persona detegitur, quasique digito commonstratur; sortium autem usus, qui ante Spiritus Sancti adventum quandoque licuit, effusa jam ejusdem plenitudine non amplius in ecclesiasticorum praesulum electionibus licet, ne illi scilicet irrogetur injuria (ut rite animadvertit Angelicus (1)) ac si non satis Ecclesiam divino suo lumine collustrasset; qua de causa vel ipsi Apostoli, qui jam Mathiam ante Pentecosten in suum coetum sorte cooptaverant, postea nonnisi praemeditato consilio electos esse diaconos voluerunt: non abs re proinde erit de eligendo provinciae moderatore ex veteri consuetudine, institutoque majorum commensum cum temporis angustiis sermonem instituere, ut in hoc tam gravi, aleaeque pleno negotio, quod diligenti circumspectione, magnaque deliberatione definiendum est, omnis errori aditus praecludatur. Sed quae tandem a vobis in hac re tanta potissimum perpendenda dicam? Nimirum duo haec mihi videntur maxime animadvertenda: primum, quibusnam animi dotibus praeditum eum esse oporteat, cui totius provinciae sit regimen demandandum; alterum, quisnam sit ceteris praeferendus, ubi plures occurrant iis necessariis dotibus exornati. Adeste igitur animis, ornatissimi Patres, et si quae dicturus sum, suffragio vestro probaveritis, non pigeat opere implere, quod ego fuerim sermone prosequutus.

I. Si quid de ecclesiastici pastoris dotibus vel

(1) 2. 2. q. 95. art. 8.

sacrae praecipiant Litterae, vel ipsa per se postulet rei natura, investigare voluerimus, nullo negotio deprehendemus, eum, cui regendorum cura committitur animorum, tum doctrina, tum probitate, tum prudentia praestantem virum omnino esse oportere.

Sane, ut a doctrina initium faciam, si vel ipsos hebraici populi rectores scientia Deus esse jussit exornatos, ita ut Moysi in mandatis dederit: *Congrega... viros, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri... ut sustentent tecum onus populi* (1); quanto magis putamus doctrina excultos eum esse velle sacros christianae gentis moderatores? Praesertim quum ipse per Jeremiam spoponderit: *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina* (2). Praeterea, si indoctum hominem ne in sacerdotum quidem censum adscribi patitur, adeo ut Oseae ore protestetur: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (3); quis in animum inducat suum, doctrinae eruditionem non ab eo maxime postulare, qui vel ipsis praeesse debeat sacerdotibus? Ergone illitteratum hominem ab inferioribus arcebit gradibus, eidemque nihilominus liberum permittet aditum ad scandendos superiores? Quamobrem, ut id praeclaro quodam symbolo esset omnibus declaratum, in quadrata illa veste, quae summi Judaeorum pontificis pectori apponebatur, cuique *rationale* nomen erat, hebraicis jussit inscribi litteris *urim* et *thummim*, quae, si verbum verbo reddas, latine sonant *illustratio* et *perfectio*, seu *doctrina* ac *veritas*; ut hine scilicet



(1) Num. 11. v. 16. 17. (2) Jer. 3. v. 15. (3) Os. 4. v. 6.

discerent homines, non alium levitarum coetui praefici rite posse, nisi qui, ut Hieronymi utar verbis, *lectione assidua pectus suum* verae sanaeque doctrinae *fecerit bibliothecam* (1).

Quam dilucide autem in novo foedere sacrarum disciplinarum scientiam ab ecclesiastico pastore exigit Paulus? Nonne in prima ad Timotheum epistola *doctorem eum esse oportere* (2) sine ulla ambage pronunciat? Nonne in altera ad Titum conceptis verbis tradit, *oportere* eumdem *esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere* (3)? Neque vero, ut perperam nonnulli jactant, ab hac recessisse lege putandus est Christus, dum homines piscatores, rudes, illiteratos ad apostolicum evexit gradum, iisque Ecclesiae suae regimen demandavit. Quid? Noluit quidem Christus in iis nascentis Ecclesiae initiis aut philosophos, aut rhetores, aut alios quoslibet, qui humanae sapientiae laude florerent, ad apostolicum munus eligere, ne scilicet (ut passim monent Patres) orbis terrarum ad christianam fidem conversio non Dei, sed hominum opus esse putaretur. Ceterum quos nullis humanis disciplinis excultos assumpserat, eos omnigena divinarum rerum scientia affatim ornatos voluit; ac primo quidem magisterio suo, tum vero Spiritus Sancti illapsu *omnem eos docuit veritatem*. Hinc quum dixisset Paulus, *Deum, quae stulta sunt mundi, elegisse, ut confundat sapientes* (4); adjecit alibi, *gratiam Christi* (in Apostolis) *in omni sapientia superabundasse* (5).

(1) In epist. ad Heliod. (2) Cap. 3. (3) Cap. 1.
(4) 1. ad Cor. 1. (5) Ad Eph. 1. v. 7. 8.

Nedum autem sacrae Litterae, verum et ipsum ecclesiastici pastoris officium hanc a praeside exposcit doctrinae eruditionem. Age sane, recense gravissimi illius muneris partes. Sacri certe pastoris est, oves sibi commissas verbo pascere, et qua publicis concionibus, qua privatis admonitionibus, qua instructione, qua consilio, qua voce, qua scripto subditos homines erudire, et ad omnem plane sanctimoniam informare. Hoc enim sibi vult illud ad animarum rectorem mandatum: *Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (1). Sacri praeterea pastoris est, exortas de divino jure controversias, ubi fuerint a subditis ad ejus judicium delatae, vere ac solide definire; siquidem scriptum est: *Legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (2). Fac porro indocto cuipiam homini aut regendam Ecclesiam, aut administrandam provinciam demandari: quomodo, quaeso, implere poterit suscepti muneris partes? Isne doctrinae lumen effundet, qui in ignorantiae tenebris versatur? Isne *derivabit fontes suos foras,* qui caret *aqua sapientiae salutaris?* Isne leges explanabit, definiet lites, ancipitis componet animi fluctuationes, qui in eorum censum adscriptus est, de quibus inquit Apostolus: *Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant* (3)? Omnino igitur divinarum rerum scientia polleat necesse est, qui regendis animis praeficitur; et eo magis quum litteratis studiisque deditis viris, ut nostri homines sunt, praeesse debet: vel enim ipso Cicerone

(1) Ad Tim. 4. v. 2. (2) Mal. 2. v. 7.
(3) 1. ad Tim. 1. v. 7.

teste, *nihil est turpius, quam sapientium vitam ex insipientium sermone pendere* (1).

Scientia porro in praeside sit oportet cum pietate amico foedere consociata. Et re quidem vera: quum ab omnibus omnino hominibus, iisque praesertim, qui sunt sacris initiati, morum probitatem exigat Deus, illisque praecipiat: *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (2); quam, quaeso, vitae integritatem ab iis pastoribus postulabit, qui vel praeesse debent hominibus divino cultui destinatis? Certe ut hoc fieret omnibus perspicuum, a summo Judaeorum sacerdote auream laminam hyacinthina vitta ejus fronti colligatam semper jussit deferendam, in qua sculptum esset opere caelatoris: *Sanctum Domino* (3).

In sacris autem novi foederis Litteris quam aperte et vitiorum fugam, et virtutum apparatum ab animarum rectoribus exigunt duo principes Apostolorum? Audite Petrum: *Pascite,* inquit, *qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et quum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam* (4). Aures adhibete Paulo: *Oportet*, ait, *episcopum* (atque adeo quemlibet animarum rectorem, quum utrobique sin par, certe quam maxime affinis militet ratio) *oportet episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, be-*

(1) De Fin. lib. 2. (2) Lev. 11. v. 44. (3) Exod 28.
(4) Epist. 1. c. 5. v. 2. 3.

*nignum, sobrium, justum, sanctum, continentem* (1). Quid, quaeso, clarius, quid luculentius?

Etsi vero altum esset in sacris Litteris hac de re silentium, nonne magna ac peracuta voce clamaret ipsa per se rei natura? Qua, quaeso, de causa sacer eligitur praeses, nisi ut ceteris potissimum exemplo praeluceat; nisi ut non animis tantum, sed oculis etiam serviat subditorum; nisi ut ejus vita speculum quodammodo sit, unde quid corrigere, quid tenere, quid fugere, quid sequi debeant, subjecti homines discant? Porro si regulari praesuli regularis non sapiat disciplina; si totus quidem sit de comedendo lacte, nihil vero de pascendo grege sollicitus; si preces, si meditatio, si studium, si victus ei nauseet cultusque communis; ex adverso autem et mensa lautior, et somnus protractior, et matutini ac vespertini exitus, et spectacula, visitationes, solatia ei magnopere in deliciis sint: nonne vita ejus, quin speculum sit sanctitatis ac forma virtutis, *petra* erit *scandali*, et *lapis offensionis?* Quid vero proderit, subditos *ad aemulanda meliora charismata* voce provocare, si quantum aedificat verbo, tantum destruat exemplo? Ut enim sunt homines ad sua tuenda et ad aliena vitia carpenda proni, si qui erunt, qui paullo liberiorem ducant vitam, ii licet fortasse coram praesidi assentabuntur, ubi tamen eos de admissis erratis incipiet commonefacere, tacitis saltem obtrudent cogitationibus: »Unde tibi frontem, libertatemque parentis, Quum facias pejora senex»? *Confidis te esse ducem caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium;.. qui*

(1) Ad Tit. 1.

*ergo alium doces, teipsum non doces;.. qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras* (1)? Memento, vel ab ipso olim Tullio praeclare dictum esse: *Quomodo, aut cui tandem is imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? ... Spernat primum voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, ceteras animi labes repellat; tum incipiat aliis imperare, quum ipse improbissimis dominis dedecori ac turpitudini parere desierit* (2). Eja igitur *medice, cura teipsum;* incipe exemplo Christi prius *facere,* deinde *docere; ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui* (3). Plane igitur necesse est, ut rector animarum, quantum honoris gradu ceteris praeest, tantum iisdem vitae innocentia morumque integritate praestet; vel ut cum magno Gregorio dicam: *Tantum debet actionem populi actio transcendere praesulis, quantum distare solet a grege vita pastoris* (4).

Parum tamen prodessent in praeside disciplinarum scientia, morumque integritas, nisi ejusmodi dotes in eo essent exquisita quadam prudentia cumulatae. Sane, *si sapientia aedificari domum, et prudentia roborari* (5); si ibi *salutem esse*, *ubi multa consilia sunt* (6); *si nihil sine consilio faciendum, ne post factum pœniteat* (7); *si prudentem hominem magnatis placere* (8); *ducem autem indigentem prudentia multos opprimere* (9), veteris testamenti paginae clamant; si prudentia demum modo servata, modo rite administrata re-

(1) Ad Rom. 2. (2) Parad. 5. (3) Matth. 7. v. 5.
(4) In Past. (5) Prov. 24. v. 3. (6) Prov. 11. v. 14.
(7) Eccli 32. v. 24. (8) Ibid. 20. v. 29. (9) Prov. 28. v. 16.

gna, imprudentia autem vel perdita, vel dissipata, hinc Davidis et Salomonis, illinc Saulis et Roboami luculenta evincunt exempla; plane consequitur, praeclaram ejusmodi dotem nedum valere maxime ad regendos subditos, verum ad id muneris reipsa esse pernecessariam.

Hinc in novo foedere non alium, nisi *prudentem* servum, fuisse a Domino super familiam suam constitutum, euangelica prodit parabola; hinc Paulus, quae in ecclesiastico praesule requiruntur, dotes recensens, *prudentiae* non postremo loco meminit; hinc denique Christus Ecclesiae suae praeficiens Apostolos, quum illos sicut oves mitteret in medio luporum, eos jussit serpentis prudentiam imitari.

Quid vero si ipsum spectemus ecclesiastici pastoris officium? Certe provinciae moderatoris munus postulat, ut ejus providentia et discipulis optimi praeceptores, et monialibus periti confessarii, et coenobiis idonei praesides praeficiantur; ut ipse per se ad coenobia visitanda se conferat, ac *si quid infirmum invenerit, consolidet; si quid aegrotum, sanet; si quid confractum, alliget; si quid abjectum, reducat; si quid perierat, quaerat* (1), ut cum exteris etiam gravissimis viris rem habeat, ac cum eis difficillima interdum negotia expediat; denique ut totius provinciae commodis prospiciat, ac uniuscujusque simul saluti consulat; ferme dixerim instar excelsi divinique motoris, qui orbes omnes sibi subjectos multiformiter et aequabiliter ciet, ut ab iis deinde, ceu a causis proximis, propria cujusque effecta provenire conspiciantur.

(1) Ezech. 34. v. 4.

Pone porro in praeside prudentiam; jam habebis hominem ad ea omnia rite recteque praestanda paratissimum: ejus siquidem lumine collustratus probe noscet, subditorum ingenium, doctrinam, pietatem, merita aequa lance librare; quid personis, quid negotiis, quid loco, quid tempori congruat, decernere; lenitatem severitati miscere; ac ita aurem unam praebere accusatori, ut altera reservetur reo; totum ratione moderari, nihil temeritati concedere; *attingere denique a fine usque ad finem fortiter, et omnia disponere suaviter* (1). Tolle ex adverso a praeside prudentiam; quid tibi reliquum erit, nisi caecus quidam homo, qui per aspera ac praerupta loca sine duce gradiens nunquam media ac recta incedit via; ac quin aliis iter agentibus esse possit adjumento, indiget ipse fidi rectoris ope, ne inter pericula medius modo caput, modo pedes, modo latera offendat, ac plane praeceps in perniciem exitiumque feratur. Est enim prudentia *recta agendorum ratio,* in eaque est *spiritus intelligentiae multiplex, subtilis . . . certus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus* (2). Hinc vel ipsi philosophi eximiae hujusce dotis in unoquoque praeposito necessitatem vel sola ratione duce agnoverunt: quare Aristoteles, *Prudentia*, inquit, *propria virtus est praesidentis* (3); Tullius vero *industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, consilium in providendo* (quae quidem omnia una prudentia continentur) *virtutes* esse dixit *imperatorias* (4). Fixum igitur, statumque sit, eligendum provinciae moderatorem virum esse opor-

(1) Sap. 8. v. 1. (2) Ibid. 7. (3) Eth. art. 3. c. 3.
(4) Pro Leg. Man.

tere, qui doctrinae, qui pietatis, qui prudentiae laude praefulgeat.

Verum quum singulari Dei munere quamplures inter vos occurrant praeclaris hisce dotibus exornati, illud nunc superest inquirendum, cuinam tandem ex iis sit provinciae cura committenda? Ajo itaque secundo loco, et ne patientia vestra abuti videar, brevius demonstrandum suscipio, eum esse aliis praeferendum, qui dignior sit, seu qui communi provinciae bono promovendo ceteris omnibus accommodatior esse censeatur.

II. Videri fortasse quibusdam potest, ut visum olim nonnullis est, suo jam esse muneri satisfactum, si eum eligant in praefectum, quem ob recensitas animi dotes dignum noverint praefectura; quin necesse sit comparationem ullam instituere, ac digniore adinvento, eundem ceteris anteferre. Verum ii et Scripturarum oraculis, et Patrum scitis, et mandatis Pontificum, et decretis Conciliorum, et ipsius denique naturalis rationis documentis aut nunquam adhibuerunt aures, aut certe morigeras non admoverent: siquidem ea omnia una voce conclamant, digniorem, vel ad subditorum commoda promovenda magis idoneum, omnino esse eligendum. Itane? Ita profecto.

Scrutamini sane Scripturas. Quum Deus israeliticae genti primum daturus esset legislatorem ac praesidem, nonne Moysen prae aliis elegit, de quo sacra testantur eloquia, quod *in omni domo Dei fidelissimus erat; et vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra* (1)? Christus quoque Dominus quum primum supra Ecclesiam



(1) Num. 12. v. 7. et v. 3.

suam constituturus esset pastorem, nonne ex eodem percontatus est, an se vividiori prae ceteris amore prosequeretur? *Simon..*, inquit, *diligis me plus his? Pasce oves meas* (1). Argumento est igitur, satis non esse aliorum regimini praeficere dignum, sed omnino ad id muneris eligendum esse digniorem.

Interrogate sanctos Ecclesiae doctores; ac id quidem responsi dabit Augustinus: *Ad sedem honoris Ecclesiae instructiores atque sanctiores esse eligendos, alioquin non leve peccatum admitti in personarum acceptione* (2). Subscribet Augustino Hieronymus, ac docebit, *eos* ab electoribus *in Ecclesia columnas esse erigendos, non quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, sed quos plus cognoscant Ecclesiae prodesse* (3). Concinet in eandem sententiam et doctor Angelicus, qui hac de re sic expresse disserit: *Quantum ad hoc, quod electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune; quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, et alius praeferatur (propter aliquam causam, quae ad negotium non pertineat).. erit manifeste acceptio personae* (4). Videtis, quomodo ex Patrum documentis nullus humano favori locus dandus est, ubi de instituendis agitur pastoribus ecclesiasticis, sed

(1) Joan. 21. (2) Epist. 29. (3) In epist. ad Tit. c. 1.
(4) 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3.

*instructiores* atque *sanctiores*, Ecclesiae *magis utiles*, ad commune promovendum bonum *magis idonei* omnino sunt eligendi?

Numquid vero paullo indulgentior est summorum Pontificum doctrina? Nihil profecto minus. Quam aperte enim clamat Innocentius hujusce nominis tertius: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debet ecclesiasticum officium et beneficium in persona magis idonea dispensari* (1)! Quam definite subdit sanctus Pius V, non ordinis nostri tantum, verum et totius Ecclesiae fulgidissimum lumen: *Ut non solum dignis, sed etiam magis idoneis repertis Ecclesiae conferantur, volumus, et apostolica auctoritate decernimus* (2)!

De Conciliis vero quid dicam? Nonne conceptis verbis praecipit lateranense III, *ut ille praeficiatur Ecclesiae, qui majoribus juvatur meritis* (3)? Nonne vel ipsum tridentinum sine ulla circuitione pronunciat: *Omnes et singulos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcumque jus habent... monet* (sancta Synodus), *eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint* (4)? Haec profecto tam clara sunt, ut nullo prorsus indigeant commentario.

Sed quid necesse est sive divina, sive humana jura scrutari, quum vel ipsa naturalis ratio firmissima ad id demonstrandum suppeditet argumenta? Et re quidem vera: quis nesciat in ecclesiastici prae-

(1) Lib. 3. Decr. tit. 12. cap. un. *Ut Eccl. benef.*
(2) Const. 33. (3) Cap. 17. (4) Sess. 24. c. 1.

sidis electione id esse spectandum maxime, ut et Dei gloria, et Ecclesiae promoveatur utilitas; tum ut electi merita in honore habeantur; denique ut pericula a subditis procul arceantur? Ii siquidem, nemine diffitente, praecipui fines sunt, ob quos in Ecclesia sunt praesules instituti. Tu porro quisquis es, qui minus dignum digniori praefers, vide hinc, quam multa pecces! Annon enim Deo, annon Ecclesiae, annon subditis, annon ipsi digniori injuriam irrogas? Haud dubie Deo; quippe data opera minus aptum eligis ad illius gloriam promovendam. Profecto et Ecclesiae; siquidem de industria minus idoneum assumis ad ejus commoda procuranda. Certe et subditis; quia consulto minus accommodatum iis praeficis ad illorum pericula praecavenda. Quidni denique et ipsi digniori; quum sciens ac prudens ejus potiora merita parvi pendas, nullaque cogente causa eum prae aliis loco habeas inferiore? Heu igitur, ut Ambrosii verbis utar, *quanta in uno facinore sunt crimina* (1)!

Praeterea, si duo de re quapiam occurrant inter se dissitae pugnantesque sententiae, e quibus probabilis quidem una, sed altera tamen multo sit probabilior, hanc utpote veritati propinquiorem, illa rejecta, ceu quae longius a vero distat, jure ac merito dicimus amplectendam. Eccur igitur si duo praesto sint ad praefecturam promovendi homines, quorum alter prae altero ad administrandam provinciam multo aptior esse videatur, non posthabito digno, digniorem censebimus eligendum; quum hic, utpote ad ejusmodi munus accommodatior, propius prae illo accedat ad praesulem numeris omnibus absolutum?

(1) Lib. 3. de Virg.

Denique in unaquaque re ad potiora ac praestabiliora eligenda quasi quodam naturae impetu ferimur, quo praestitutum nobis finem facilius consequamur. Lis in foro vertitur? Praestantiori oratori causam committimus perorandam. Scopulosum mare trajicitur? Nauclero solertiori gubernacula tractanda damus. Domus est aedificanda? Peritior quaeritur architectus. Curandus morbus? Nobilior medicus adhibetur. In consiliis capiendis, in emendis mercibus, in cujuscumque generis negotiis expediendis, quum facile possumus, aptiorem semper minus apto praeferimus, quo citius ac tutius res nobis pro voto cedat. Ubi vero de causa apud Deum oranda, ubi de procelloso hujus saeculi mari navigando, ubi de aedificatione Ecclesiae, ubi de morbis animi, ubi de summo denique aeternae salutis negotio agitur, scientes prudentesque minus idoneum moderatorem propugnabimus eligendum? Plusne cordi esse debent hominibus, quae sunt corporis usibus deputata, quam quae spiritus spectant gubernationem?... Sed jam pudet ac taedet in re tam manifesta diutius immorari.

Haec quum ita sint, habetis, spectatissimi Patres, quas potissimum leges in novi provincialis praepositi institutione servare debeatis. Eligendi itaque personam praesidis primum per se spectate, et an doctrinae, an pietatis, an prudentiae laude praefulgeat (quibus praesertim dotibus sunt homines ad praefecturam instructi) diligentissime investigate. Eundem praeterea cum aliis idoneis comparate, et ubi ad id muneris ceteris aptior vobis esse videatur, vel ubi ex eo et major Deo gloria, et major Ecclesiae utilitas, et majora toti provinciae commoda obventura esse non immerito existimetis, omni partium studio seposito, eum vobis in mo-

deratorem adsciscite. Hoc sacrae Litterae, hoc sancti Ecclesiae Patres, hoc Pontifices summi, hoc oecumenica Concilia, hoc ipsa naturalis ratio unicuique vestrum uno ore denuntiant; quibus si quispiam (quod absit) malo omine non duxerit obtemperandum, is et gravis noxae reus tenebitur, et admissi criminis poenas luet sententia aeterni judicis infligendas.

Ad vos nunc demum manus attollit, tanquam ad carissimos filios, amantissima mater, veneta nostra provincia; ac primo quidem gratias vobis agit maximas, quod eum hactenus moderatorem illi praeesse volueritis, ex cujus regimine vigilantiae atque consilii, dexteritatis et aequitatis, mansuetudinis ac religionis plenissimo plurima in eam magni momenti commoda redundaverint; tum vero supplex vos rogat obtestaturque, ut de suo communi bono solliciti in vestris hisce comitiis alium ei non absimilem praesidem subrogetis. Eja eja igitur, ornatissimi Patres, vota matris ad vos brachia protendentis explete, ac pristinam ejus laetitiam novo nunc gaudio cumulate.